

gumento Solis, ipsi σ puncto, secundum seriem numerorum compu-
tando, & prouenit σ uera diebus in æquatis, die 31 Augusti, hora una,
minutis 55. Hoc tempore inuenio ueros motus Solis & Lunæ 5 signo-
rum, 16 graduum, 40 minutorum. Argumentum uerum Solis 2 signo-
rum, 17 graduum, 6 minutorum, 50 secundorum. Argumentum ue-
rum Lunæ 4 signorum, 27 graduum, 32 minutorum, 50 secundorum.
Argumentum uerum latitudinis Lunæ 0 signorum, 10 graduum, 40
minutorum, quæ ex tabulis resolutis accipies. Tempus hoc uræ σ æ-
quo per uerum locum Solis, æquatio autem dierum est 20 minutorū,
haec adiecta ueræ σ temporī producit æquatæ σ tempus, die 31 Augu-
sti, hora 2, minutis 15. Super hoc tempus pono indicem Planisphærij,
ac rethe circumduco, quo usq; Solis gradus cadat sub indicem, gradus
autē quem ex zodiaco orientalis Horizon abscindit, est 20 Sagittarij,
ascendens tempore σ æquatæ. Medium cœli 19 gradus Libræ. Altitu-
do Solis & Lunæ 40 graduum. Medijs cœli 32. Nonagesimus gradus
ab ascendentे est 20 Virginis. Distantia Lunæ ab ascendentе distat 93
gradibus. Distantia nonagesimi gradus ab ascendentе à zenith capitū,
est 51 graduum, loci aut Solis & Lunæ à zenith capitum 50 graduum.

T Sinum rectum cuiuslibet arcus dati cognoscere.

PONE filum limbi super arcum datum in semicirculo arcuū,
& ibidem situetur Almuri, deinde transfer idem filum super li-
neam chordarum, & Almuri ostendit numerum graduum &
minutorum sinus quæsiti à radice fili computandū, & hoc est
uerum, si arcus datus fuerit minor 90 graduū. Si uero maior 90 fuerit,
tunc illud quod plus est 90, cōputa econuerso ab A uersus B, & ibidem
pone Almuri, deinde transfer filum ad lineam chordarum & Almuri,
quod ostendit numerū graduum sinus arcus predicti à radice fili com-
putando. Sinus rectus in dato exemplo altitudinis Solis & Lunæ, est
39 graduum ferè. Altitudinis autem medijs cœli 32 quasi graduum. Di-
stantiæ nonagesimi gradus ab ascendentе à zenith capitū, est 47 fermè
graduum. Distantiæ autem loci σ à zenith capitum 46 graduum.

T Quantitatem anguli occidentalis constituti super datum punctum,
ex concursu circuli altitudinis cum eccliptica per notam distantiam eius-
dem puncti à zenith capitatis illius gradus, quæ ab ascendentе
distat 90 gradibus cognoscere.

PONE Almuri in filo limbi super chordā distantię gradus 90
ab ascendentе à zenith capitatis. Deinde applica idem filum sup
arcū distantiae puncti dati in eccliptica à zenith capitatis, super
tantū arcū uel talem distantiam applica filū limbi quantū uel p
quot gradus ille punctus datus in eccliptica uel gradus Lunæ in quo fit
e iiii Ecclipsis